

Methodi
objectum,
forma &
finis.

Encomium
methodi.

rentia sumta ab objecto, formâ & fine. Objectū methodi sunt res variæ seu diversę inter se ordinadæ. Nec enim solūm versatur circa axiomata, ut interpretes Rami colligunt è definitione methodi Rameâ; sed etiam circa themata simplicia, & argumenta, quibus illa themata explicantur. Ex his autem axiomata cōstituuntur. Hinc rectè *Polanius* tradit *l. 2. syntag. Logic.* in omnibus disciplinis, in quibus disponēdis ordo requiritur, duo esse themata & argumēta eorum. Quid? Ordo axiomatum pendet ab ordine thematum & argumentorū. *Forma* methodi consistit in ordinatione priorum & posteriorum. Hinc *Fonseca 5. Metaph. c. 1. q. 3. f. 3.* Ordo, ait, omnis in priori & posteriori consistit veluti formâ & essentiâ. Sublato igitur priori & posteriori, ordo tollitur. Sed & hæc forma est finis methodi internus. Externus *finis* methodi vel ultimus est, putà meliùs & faciliùs res cognoscere; vel subordinatus, vitare confusionem, itemq; rerum inter sese convenientiam judicare; & denique illas memoriâ complecti. Cū enim methodus sit instrumentū, necessum est habeat finem aliquē. Omne enim instrumentū alicujus finis gratiâ est inventum, à quo etiam illius natura pendet. Ex his, quæ hætenus dicta sunt, duo colligere possumus, videl. methodi difficultatem & præstantiam. Difficultas illius tanta est, ut maxima subtilitatis pars in libris sapientum, œconomia seu dispositio dicatur subtilitatum professori; *exerc. 303. f. 9.* Præstantiam ostendūt necessitas & pulchritudo. Necessitas tanta, ut nulla mētis actio seu operatio difficilior & arduior sit, quàm illa, quæ in ordinis executione se ostendit. Compositio & divisio simplicium difficilis, difficilior discursus syllogisticus, difficillimus discursus methodicus, ajunt Logici. Et Rameis in ore est cōsimile: Labor invētionis est simplex; dispositionis axiomaticæ duplex; syllogisticæ triplex; methodicæ multiplex. Ideò & instrumentum, quod talem actionem seu ordinationem adjuvat & dirigit, omnium difficillimū & præstantissimum esse necessum est. Ordinatio enim exerceri non potest sine mentis omnibus operationibus, sine inveniendi theorematis. & axiomatis, & syllogismi operâ. *Talens ad h. loc.* Itaq; in ordinatione omnes mētis operationes concurrunt, & ipsa ordinatio omnium ultima & perfectissima est. Atq; hinc consequitur, eandē quoq; pulcherrimā esse. Videmus enim

mus enim